



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 28. Lutheri Fpistola(sic!) ad Electorem Moguntinum de ineundo
connubio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. git. Ob hoc connubium Erasmus fat
A.C. 1526. jocose Oecolampadium lusit his verbis:
*Nuper Oecolampadius duxit uxorem, puel-
 lam non inelegantem. Vult opinor afflige-
 re carnem suam. Quidam appellant Lu-
 theranam tragædiam, mihi videtur esse co-
 mœdia; semper enim in nuptias exeunt tu-
 multus.*

§. XXVIII.

*Lutheri epistola ad Electorem Mo-
 guntinum de ineundo con-
 nubio.*

Cochl. hoc an.
 p. 129. & 131

Cum Lutherus quosdam dementiæ
 suæ socios habere lætaretur, ac
 quemdam insuper magni nominis Præ-
 latum ad sequendum ipsius exemplum
 pertrahere cuperet, literas perscripsit
 ad Albertum Brandenburgicum Mogun-
 tiæ, & Magdeburgi Archiepiscopum,
 eundemque ad relinquendum celibem
 statum, nec non ad utrumque Archi-
 episcopatum in profanos Principatus
 commutandum sollicitavit, *longe maxi-
 mum, scripsit Lutherus, exemplum erit Il-
 lustrissima Dominatio vestra, quæ in medio
 Germanicæ ex maximis capitibus unum quo-
 que existit, hic multos homines tranquillos
 redderet, atque lucraretur, aliosque Episco-
 pos ad abjiciendum falsum nomen Ecclesia-
 stici status, & amplectendum Matrimonium*
 subse-

subsequenter alliceret. Tunc & Deus se Sæcul.XVI. A.C.1526.
 videndum præberet in gloria, igitur eripiat
 se ex scelesto, & impio statu, in beatum di-
 vinumque statum Matrimonii, ubi Deus pro-
 pitium se facit inveniri. Ut vero hanc fa-
 crilegam propositionem quodammodo
 comprobaret, addidit, opus ac voluntatem
 Dei esse, ut vir habeat mulierem Gen. 1.
 Non est bonum (inquit Deus) virum esse
 solum, faciam ei adjutricem, quæ circa eum
 sit: Ubi ergo Deus non facit miraculum,
 Angelum ex homine faciens, non possum vi-
 dere, quomodo vir queat absque ira, & in-
 dignatione Dei solus ac sine muliere perma-
 nere. Attamen Archiepiscopus, cum sa-
 pientia ac prudentia clarus esset, impro-
 bam hæretici levitatem, audaciamque
 contempsit, ac nequidem ad ejusmodi
 literas respondit.

§. XXIX.

*Supremus Ordinis Teutonici Ma-
 gister Lutheri Sectæ additus,
 ac connubio junctus.*

Attamen Lutheri suggestionibus ma-
 gis faciles aures præbebat alius qui-
 dam Albertus, Moguntino Electori san-
 guine junctus, necnon magnus Ordinis
 Teutonici Magister. Hic ordo, post-
 quam se ab Ecclesiæ gremio segregave-
 rat, ac per centum quinquaginta & am-
 plius